

hant, nullam pariter contrahere cooperatores seu fautores poterunt.

Attamen, cum hos latuerit duellum perpetrantium intentio, dum ad pedes Confessarii sistunt, atque confiteantur se vero duello interfuisse, habendi erunt uti excommunicati. Etenim tum poenitens tum Confessarius nesciunt, duellum illud fictum fuisse.

Ad haec addimus Declarationem sequentem latam a Suprema Inquisitione Romana, quod habetur in Actis S. Sedis Tom. 17. pag. 601.

Vicarius Generalis Pictaviensis nonnulla circa duellum dubia ad Supremam Inquisitionem Romanam detulerat, quoad Confessarium et Medicum qui duellantibus assisterent atque eiusmodi responsum prodiit ad Episcopum Pictaviensem datum.

Illm̄e ac Rm̄e Domine.

Litteris diei 24 Septembris Superioris anni datis, Vicarius generalis Amplitudinis tuae proposuit tria sequentia dubia, scilicet:

1°. Potest ne medicus rogatus a duellantibus duello assistere cum intentione citius finem pugnae imponendi, vel simpliciter vulnera ligandi ac curandi, quin incurrat excommunicationem Summo Pontifici simpliciter reservatam?

2°. Potest ne saltem, quin duello sit praesens, in domo vicina, vel in loco propinquo sistere, proximus ac paratus ad praebendum suum ministerium, si duellantibus opus fuerit?

3°. Quid de Confessario in iisdem conditionibus?

Em̄i Patres una mecum Inquisitores generales, haec dubia ad examen revocarunt in Congregatione generali habita Feria IV, die 28 labentis Maii, ac re mature perpensa, respondendum censuerunt:

Ad 1^m Non posse, et excommunicationem incurri.

Ad 2^m et 3^m Quatenus ex condicto fiat, item non posse et excommunicationem incurri.

Dum haec tecum communico, ut pro opportunitate nota fiant, fausta omnia ac felicia Tibi precor a Domino.

R. P. D. Episc. Pictavien.
Romae 31 Maii 1884.

Addictissimus in Domino

R. Card. Monaco.

Ne eiusmodi decretum maiori severitate qua par est, lectores interpretentur, illud declarare breviter putamus.

Certum est, in Constitutione Apostolicae Sedis a Legislatore excommunicatione percussos fuisse tum duellantes, tum complices fautoresque quoslibet formales, eos scilicet qui operam et favorem impendunt, vel duellum spectant quatenus duellum est, id est ad locum certaminis pergunt ex proposito et data opera, non illos qui favore suo nihil in proscriptam actionem conferunt; favor enim qui nihil confert, favor non est.

Haec tum ex rei natura, tum ex verbis legis patere arbitramur; ex

rei natura quidem, quia cum duellum sit intrinsece malum, et praeterea omnium humanorum factorum stultissimum, ut quis eius causa peccatum et consequenter excommunicationem contrahat, debet aliquo pacto peccati illius vere esse complex. Ex lege autem quia verba: *et quilibet complices, vel qualemcumque operam, aut favorem praebentes, nec non de industria spectantes* innuunt complicitatem, operam, favorem, praesentiam formalem, directam, ex voluntate et ex animo. Sin minus excommunicationem incurrerent etiam illi omnes spectatores, quos excommunicatione eximit Reiffenstuel, cuius verba retulimus Tom. 1. pag. 588.

His praemissis negari nequit, quin medicus ille de cuius agendi ratione in decreto relato quaeritur, sit vere ineundi duelli complex. Rogatur enim a duellantibus ut ipse duello assistat, quamvis id praestet cum ea intentione vel ut citius finem duello imponat, vel simpliciter ut vulnera liget atque curet.

Atqui in utroque casu est duelli complex formaliter; in primo quidem quia cum ipse assistat ut duello citius finem imponat, ergo simpliciter duellum approbat.

Intentio enim duello citius finem imponendi qua ducitur, quamvis laude digna, innuit medicum a duello excludere velle graviora damna, finemque graviorem: at ille qui tantummodo finem deteriore

vult impedire, profecto demonstrat se probare principium actionis, vel saltem illi non contradicere.

Haec autem multo magis vim habent si medicus assistat ea tantum de causa ut post duelli finem vulnera liget atque curet; hoc enim in casu, utpote rogatus a duellantibus et favorem infert, et animos iis addit, et ut minimum dicamus, est spectator de industria. Nullo itaque argumento excommunicatione incurrenda eximitur.

Attamen hic casus prout iacet accipiendus est, atque ad alias con-similes actiones non extendendus. Supremi Inquisitores enim responderunt ad dubia proposita, et iis circumstantiis communita quibus proponebantur, non ad alia.

Hinc ne putent lectores, hunc medicum excommunicationem incursum fuisse, si ad locum certaminis perrexisset cum intentione duello citius finem imponendi, sponte, et minime a duellantibus rogatus. Etenim 1° deesset condictum, 2° deesset favor vel complicitas quaelibet. Nemo autem prohiberi potest bonum duellantibus praestare, vel duellum minus periculosum reddere independentem a qualibet complicitate vel favore; in lege enim excommunicantur fautores et complices formales.

Revera, condicto excluso, medicus hic si excommunicationem contraheret, illam contraheret quatenus de industria spectator, et non alia de causa, ex. gr. ut complex,

fautor etc. Si enim antea utcumque duello favit, ob favorem praestitum excommunicationem incurrit.

At in casu, medicus hic uti spectator de industria haberi nequit. Spectatores enim de industria ii sunt qui ad locum certaminis sese conferunt prorsus ut duellum conspiciant, et nullo pacto impediunt. Cum igitur hic medicus ad locum certaminis pergat vel ut ei citius finem imponat, vel vulneratis praesto sit, patet quod non pergat duellum conspecturus, sed aliquo pacto impediturus, vel salutarem porrecturus operam iis qui vulnerantur, quod minime ingreditur propositum spectatorum de industria.

Equidem et ipse spectat duellum; attamen non de industria, neque ea de causa ad locum certaminis perrexit; eius intentio toto coelo diversa est ab mente spectatorum de industria, eo quod nisi illam intentionem haberet, nullo pacto ad conspiciendum duellum sese conferret; eius ergo praesentia illa non est, quae excommunicatione percellitur.

Qua de causa sicut excommunicationi non subduntur illi qui pergunt ad locum certaminis ut duellum impediunt; quamvis ob circumstantias illud impedire nequeant, illudque conspiciant, ea semper in intentione manentes, ut impediunt; a pari medicus noster; eius enim praesentia aliena est a ratione duelli.

Exinde et illud verum esse dicimus, non incurrere scilicet ex-

communicationem neque patros neque testes illos, qui quamvis rogati a duellantibus et ex conducto pergant ad locum certaminis, tamen non ea intentione qua pergunt duellantes, sed plane diversa. Ex gr. Si duellantes decreverint usque ad mortem pugnare, eosque patrini et testes comitentur ut pugnam ad mortem usque impediunt, quem casum proposuimus *Tom. 1. p. 575.* Etenim hi non pergunt ad locum certaminis ex conducto iuxta mentem duellantium, sed ingenio, et pia quodammodo fraude, ut duellantium intentionem in irritum mittant; ideoque conductum illud tale non est quale a Legislatore prohibetur.

Neque eiusmodi sententia subvertitur per relatum Inquisitionis decretum. Medicus enim, de quo in dubiis propositis, pergat ad locum certaminis, utique cum intentione duello citius finem imponendi, attamen iuxta duellantium mentem, qui duellum peragere volunt. At in casu a nobis proposito patrini et testes duello assistunt contra duellantium mentem, cum hi ad mortem usque decertare velint, illi id omnimodis impedire cupiant, ideoque pergant ad locum certaminis.

Quod factum quidem non intelligimus quomodo excommunicationi subiici possit, cum sin minus excommunicationi subiicerentur qui homicidium impedire volunt.

Neque quis subsumat, quamlibet complicatam ab Legislatore prohi-

que ad mortem pugnandum sit, prout in casu a nobis proposito.

ADDITIO AD APPENDICEM XIX.

Tom. 1. pag. 595.

Porro illa in Appendice egimus de excommunicatione lata in eos qui dant nomen Sectae Massonicae vel Carbonariae aut aliis eiusdem generis sectis, quae contra Ecclesiam vel legitimas potestates seu palam, seu clandestine machinantur.

Latas in eiusmodi homines censuras confirmavit Leo XIII in Epistola *Humanum genus* (1) data die 20 Aprilis 1884. In ea haec ait: « Itaque quaecumque Romani Pontifices Decessores Nostri decreverunt inceptis et conatibus Sectae Massonum impediendis: quaecumque aut deterrendi ab eiusmodi societatibus aut revocandi causa sanxerunt, omnia nos et singula rata habemus atque auctoritate nostra Apostolica confirmamus (2) ».

Scripsimus *pag. 616*, societates in Piano Capite proscriptas illas esse quae contra Ecclesiam vel civiles potestates machinantur, non alias, quarum socii quamvis horribilibus iuramentis sese obstringant, tamen eiusmodi pessimum finem sibi non proponunt.

Id, praeter alia argumenta a nobis adducta, confirmare videtur Leo XIII in cit. Epistola, qua affirmat societates proscriptas illas esse

beri; respondemus enim, illam complicatam ab Legislatore prohiberi quae in ratione duelli concluditur. At illorum complicitas de quibus nos agimus concluditur ne in ratione duelli quod duellantes pacti fuerant? Profecto illam excludit. Ergo non potest excommunicatione percelli.

Sed neque eiusmodi sententia subvertitur per dubium secundum citati decreti, quo medicus quamvis duello non adsit, et degat vel in loco vel in domo propinqua, tamen si id ex conducto fecerit excommunicationem incurrit.

Etenim et in hoc casu medicus agit iuxta duellantium mentem, et actione sua quodammodo duellantibus favet. At relate ad eos patrinos et testes, de quibus nos in proposito casu agimus, non ita res se habet, cum ad locum certaminis pergant impedituri actionem duellantium.

Ut igitur eiusmodi quaestioni finem imponamus, sequentia subiicimus:

1°. Vetitum lege est, praestare ex conducto operam vel favorem quemlibet duellantibus iuxta perspectam eorum intentionem.

2°. Excommunicatione non percelli simulare conductum et assistere duello contra perspectam duellantium mentem, ut scilicet quis vel omnino duellum impedire possit, vel impedire duellum quo us-

(1) Acta S. Sedis Tom. XVI, pag. 417.

(2) Ibid. pag. 429.

quae quantum ad substantiam propositi attinet congruunt cum Secta Massonum. « Varias sunt hominum » sectas, quae quamquam nomine, » ritu, forma, origine differentes, » cum tamen communione quadam » propositi summarumque sententiarum similitudine inter se » contineantur, re congruunt cum Secta Massonum, quae cuiusdam est » instar centri unde abeunt et quo » redeunt universae (1). »

ALIA ADDITIO AD APPENDIC. III.
Cf. supra pag. 572.

Postquam typis amandassemus disceptationem illam nostram, qua demonstravimus, legentes diaria et ephemerides haeresim propugnantes peccare quidem graviter, at non incurrere excommunicationem latam in legentes libros haeticorum haeresim propugnantes, ad manus nostras pervenit epistola, qua omnino evincitur illam nostram sententiam veram undequaque esse.

Haec epistola data fuit a Rmo Patre Pio Saccheri Ord. Praed. S. Congregationis Indicis Secretario ad Rmum P. Generalem Congregationis Passionis Domini Nostri Iesu Christo, quae ita legitur:

« Per epistolam datam ex Conventu Sanctorum Ioannis et Pauli » sub die 25 Martii 1879, et ab Paternitate Tua subscriptam, deferebantur ad Sacram Indicis Congregationem sequentia dubia, ut » iis fieret satis.

(1) Acta S. Sedis Tom. XVI, pag. 420.

(2) Reverendissimo Padre. — Con lettera data da codesto Convento dei SS. Gio-

» 1°. An scienter legentes ephemerides propugnantes haeresim » incurrant excommunicationem articuli secundi Const. Apostolicae » Sedis Summo Pontifici speciali modo reservatam?

» 2°. An legentes sive libros proprie dictos cuiusvis auctoris, sive ephemerides continentes haeresim incidant in censuram Indicis a s. m. Pii Papae IX, ut supra, renovatam, et confirmatam?

» Sacra Indicis Congregatio ad dubium secundum respondit: Negative, ut Paternitati tuae iam delatum fuit. Quoniam vero primum dubium dirimere pertinebat ad Supremam Inquisitionem, hinc ad ipsam opportune transmissum fuit. Suprema autem Inquisitionis Congregatio sub die 21 Aprilis, dubio mature considerato, respondit: Negative.

» Rmum S. Officii Assessor dum me de eiusmodi sententia certiorum reddit, insinuat ut tibi latam sententiam communicem; quod peragere mihi gratissimum est. Devotos animi sensus tibi profiteor.

» Paternitatis tuae Rmae Ex Secretaria S. Congregationis Indicis die 27 Aprilis 1880.

» Rmo P. Generali Congregationis Passionis D. N. I. Christi

» Addictissimus Servus
» Fr. IERONYMUS PIUS SACCHERI
» Ord. Praed. S. Congregationis Indicis Secretarius (2). »

ADDITIO AD APPENDICEM XX.
Tom. 1. pag. 701.

Egimus hac in appendice de excommunicatione lata in violatores clausurae Sanctimonialium. Atque pag. 756. et seqq. scripsimus, licitum non esse monialibus de una Episcopi et Superiorum licentia e Monasterio egredi, neque in casu quo eligantur Abbatissae in aliis Monasteriis, neque ex causa fundandi aliud Monasterium, neque in aliis casibus. Haec nostra sententia confirmata fuit ab S. Congregatione Episc. et Regul. quam ita legimus Tom. XVII. Actorum S. Sedis pag. 255.

Sub die 16 Iulii 1884 dubia sequentia proposita fuerunt diluenda

S. Congregationi Ep. et Reg., nimirum.

1. An Episcopus auctoritate propria permittere valeat, ut recipi possint in Monasteriis clausurae subiectis mulieres quae ingredi cupiunt veluti pensionariae.

2. Pariter: Potest ne ordinarius auctoritate propria, ad tempus, vel in perpetuum monialem aliquam de uno ad aliud monasterium transferre, etiam Ordinis eiusdem, iusta interveniente causa?

3. Potest ne tandem Ordinarius, auctoritate propria, transferre aliquam Monialem quando eadem electa fuerit in Superiorissimam alterius Monasterii, aut censeat utilem esse et expedire translationem eiusmodi cum hoc munere?

vanni e Paolo sotto il giorno 25 Marzo 1879, e sottoscritta dalla Paternità Vostra Rma., venivano presentati alla S. Congregazione dell'Indice, perchè volesse risolverli, i due seguenti dubbii.

1°. An scienter legentes Ephemerides propugnantes haeresim incurrant excommunicationem Articuli II Const. Apost. Sedis Summo Pontifici speciali modo reservatam?

2°. An legentes sive libros proprie dictos cuiusvis auctoris, sive ephemerides continentes haeresim incidant in censuram Indicis a s. m. Pii Papae IX, ut supra, renovatam et confirmatam?

La S. Congregazione dell'Indice al secondo dubbio rispose: Negative, come già venne alla Paternità Vostra Rma. comunicato. E perchè il primo Dubbio fu creduto di competenza della Suprema Universale Inquisizione, venne alla medesima rimesso perchè si compiacesse risolverlo. Ora la detta Suprema nel giorno 21 del corrente Aprile, preso ad esame l'accennato dubbio, ha risposto: Negative. Mr. Assessore del S. Officio nel darmene partecipazione m'incarica di comunicare alla lodata P. V. Rma. la presa risoluzione; il che mi è grato di fare con la presente.

Profitto di tale incontro per rinnovare i sensi della mia particolare considerazione e rassegnarmi.

Della P. V. Rma.

Dalla Segreteria della S. Congregazione dell'Indice li 27 Aprile 1880.

Rmo. Padre

P. Generale della Congregazione dei PP. Passionisti

Deymo. Servidore

Fra GIROLAMO PIO SACCHERI dei Predicatori
Segretario dell'Indice.

Sacra Congregatio Eñorum Cardinalium negotiis Episcoporum et Regularium praeposita, supra praemissis praecibus, die 16 Iulii 1884 mandavit rescribi: *Negative in omnibus* (1).

ADDITIO AD APPENDICEM XXVI.

Tom. 1. pag. 940.

Agitur hac in Appendice de excommunicatione lata in captantes lucrum ex eleemosynis missarum.

Porro ad maiorem confirmationem eorum quae scripsimus pagina 961. quod scilicet possit retineri eleemosynae pinguioris excessus qui datus sit personae intuitu, referimus declarationem a latam S. Congregatione Concilii die 30 Ianuarii 1880 (2) « Ab Eminentissimo » Cardinali Archiepiscopo Lugdunensi ad S. Congregationem Concilii sequens dubium delatum fuerat die 11 Martii 1879.

» Plures Episcopi in Galliis Apo-

» stolicum obtinuerant indultum,
» cuius vigore Parochi facultatem
» habent, certis diebus, quibus a-
» liunde Missa pro populo cele-
» branda foret, SSmum Sacrificium
» ad intentionem stipendium dan-
» tis celebrandi: ea tamen lege ut
» illud stipendium ad Episcopos
» mittatur et pro piis operibus dioe-
» cesanis a S. Sede determinatis
» impendatur. Porro cum fideles
» pro hac Missa eleemosynam sti-
» pendio ordinario pinguiorem saepe
» saepius offerant, Parochi non
» pauci, misso, ut par est, ad Epi-
» scopos stipendio a statutis dioe-
» cesanis taxato, quod superat ser-
» vari sibi licitum esse vindicant;
» quia adest, inquit, pro hac par-
» te eleemosynae retinenda titulus
» extrinsecus, nempe vel *labor ex-*
» *traordinarius*, si Missa sit cum
» cantu, si aliquod iter sit facien-
» dum, si Missa fuerit publice praeb-
» nunciata in Dominica praecedente,

(1) A. cl. Ianuario Bucceroni S. I. *Commentarius De Const. Apostolicae Sedis* pag. 90. affertur pro re nostra sequens Inquisitionis decretum:

« Propositum est S. C. quod: in pluribus dioecibus omnino ab immemorabili concelitur Monialibus egressus ex causis gravibus, ab Episcopo recognitis et probatis, iuxta Concilium Tridentinum, et nulla ratione habita Const. *Pianae*. Hinc quaesitum est: Utrum particularis ea et immemorabilis consuetudo per di- etiam novam Constitutionem abrogata censi deberet, an continuari posset. — S. C. Inquisitionis 22 Decembr. 1880 respondit: *Afirmative ad primam partem, negative ad secundam*: nempe quoad egressum Monialium a clausura servandam esse Const. S. Pio V *Decorì*, contraria consuetudine non obstante. »

Eiusmodi decretum numquam nobis communicatum fuit ut illud infra Acta S. Sedis recenseremus, et neque apud alios auctores quos pervolvavimus, reperire potuimus. Hinc illud referimus nunc in fide cl. Bucceroni; opportunas tamen interrogationes instituemus apud Supremae Inquisitionis Congregationem, et decretum erit authenticum si lectores illud reperturi erunt infra Acta S. Sedis, sin minus apochriphum habeant.

(2) Act. S. Sedis Tom. XIII, pag. 256.

» vel praesertim *liberalitas* intuitu
» solius personae, *sponte et eviden-*
» *ter* impertita.

» Proposito igitur coram Eminen-
» tissimis Patribus sequente dubio:
» *An Parochi misso ad Episcopum*
» *stipendio a statutis dioecesanis*
» *taxato valeant sibi Missarum e-*
» *leemosynae excessum retinere in*
» *casu?*

» R. Negative, nisi morali certi-
» tudine constet, excessum commu-
» nis eleemosynae oblatum fuisse
» intuitu personae, vel ob maiorem
» laborem aut incommodum. »

ALIA ADDITIO AD APPENDICEM III.

Tom. II. pag. 572.

In eiusmodi Additione pag. 593 sequens dubium proposuimus: *Utrum Christi fidelibus sive laicis, sive ecclesiasticis qui gaudent apostolica facultate legendi et retinendi libros in Indicem relatos, liceat legere aut retinere ephemerides ab Episcopis in sua Dioecesi nominatim prohibitas?*

Atque ad propositam quaestionem respondimus *Negative*. pag. 594.

Vix nostra elucubratio ad lectorum manus pervenit, delatae quodammodo a praestantissimo theologo sunt querelae ad Rmum Secretarium S. Congregationis Indicis, veluti si nostra sententia difformis esset ab decreto quodam edito in re ab praedicta Congregatione die 3 Februarii 1879, quod scriptoribus Actorum S. Sedis numquam communicatum fuerat, ideoque illud minime retulerant.

Rmum Valdameri Rector Seminarii et Secretarius Episcopi Cremonensis ad Sacram Indicis Congregationem sequens dubium proposuerat: *Utrum Christifidelibus, sive laicis sive presbyteris, qui facultate gaudent apostolica legendi et retinendi libros in Indicem relatos liceat tuta conscientia aut legere, aut retinere ephemeridem cuius titulus: Il Corriere di Crema — ab Episcopo Cremensi nominatim in sua Dioecesi prohibitum?*

S. Congregatio respondit: *Ad dubium, uti proponitur, Negative.*

Eiusmodi decretum nos exscribimus ex praestantissimo Periodico *La Scienza e la Fede*, Vol. XIV. *Quarta Serie*, Fasc. 677, pag. 412; quo loco insertam reperimus partem epistolae datae ad Scriptores Periodici praedicti a Rmo P. M. Ieronymo Saccheri S. Indicis Congregationis Secretario, sub die 24 Iunii 1870 qua declarat, nullam circa intelligentiam latae declarationis dari posse difficultatem, cum in Dubio proposito sermo sit de eo qui facultate pollet legendi et retinendi libros prohibitos — *in indicem relatos* — Ephemeridem autem illam — *Corriere di Crema* — minime in Indicem relatam reperiri.

At si in dubio proposito sermo fuisset de eo qui a S. Sede facultate instructus fuit legendi libros prohibitos, *sine ulla exceptione*, satis foret manifestum, eiusmodi facultatem extendendam esse ad quemlibet librum, etiam *nomina-*